

Quemadmodum vero protestantes ex præpostero principio de justificatione et peccato originali cum suis necessariis manifestationibus intulerunt hoc corollarium quo omnes effectus poenitentiae tribuunt sacramento baptismi, ita Catholici ex contraria doctrina de justificatione ac peccato originali et peccatis actualibus voluntariis inferunt contrariam plane consecutionem. Hoc tamen intercedit essentielle discrimen inter agendi rationem quam seculi sunt protestantes et aliam cui Catholici insistant, quod illi dogmata a priori, ut ita dicam, sibi fingant et propriae theoriae accommodent, vel ex illa deducant, isti vero ex constanti ac perpetua Ecclesiae doctrina ac praxi dogmata statuunt.

Ecclesia enim catholica distinctum in utroque sacramento agnovit ministrum, distinctum subjectum, distinctam materiam, distinctam formam, distinctos effectus, distinctam institutionem, distinctas proprietates. Nam minister baptismi, saltem in necessitatis casu, est quilibet homo, minister poenitentiae solus sacerdos; subjectum baptismi est quilibet homo, subjectum poenitentiae solus baptizatus; baptismi materia est aqua, poenitentiae ex communi sententia actus poenitentis, forma baptismi exprimit ablutionem, poenitentiae absolutionem; institutum fuit sacramentum baptismi Matth. XXVIII. sacramentum poenitentiae Joan. XX. ut paulo ante ostendimus; effectus baptismi est delere una cum originali qualibet personalia crimina, tum quoad culpam, tum quoad omnem poenae reatum, ita ut per illum vere renascamur; poenitentiae effectus est remittere solas actuales noxas et poenam aeternam quae inde consequitur, non autem, saltem ordinarie, omnem poenam temporalem, ita ut reconciliemur Deo non sine magnis nostris fletibus et laboribus, imo et satisfactionibus; proprietates denique baptismi est ut iterari non possit, nec per modum iudicii deleantur peccata, poenitentiae vero proprium est ut per modum iudicii administraretur, ac toties quoties peccator noxarum suarum poenitens ad sacrum tribunal confugerit. Hinc patres appellare consueverunt poenitentiam laboriosum quandam baptismum vel secundam post naufragium tabulam, ut Tertullianus, Ambrosius, Hieronymus (1).

Accedit quod juxta protestantium systema non solum poenitentia, sed ipsa eucharistia ex numero sacramentorum deberet expungi. Etenim si juxta ipsos, ideo baptismatis memoria seu recordatio vim habet remittendi peccata in quae christianus labitur: quia revocat ei in mentem signum seu pignus justificationis quam est adeptus per fidem, quorsum instituta est eucharistia, quae pariter per fidem suos producit effectus? Ergo.

(1) Cf. apud Bellarm. de Poenit. lib. 1. cap. 15. Observat Moehler. l. c. pag. 315. quod « Luther ne peut-il pardonner à s. Jérôme d'avoir appelé la pénitence la seconde planche de salut: car la première qui est le baptême ne peut se perdre, dit notre docteur, tant que l'homme effrayé par ses péchés retourne aux promesses de ce sacrement. Suivant les catholiques, le bain de la régénération doit, à travers tout notre pèlerinage, nous rendre purs et saints aux yeux de Dieu; d'après Luther, il doit consoler l'homme dans tous ses péchés. »

DIFFICULTATES. — I. Obj. In Scripturis semper baptismus cum poenitentia conjungitur, ac baptismus tribuitur peccatorum remissio. Sic Act. II. 38. dicitur: *Poenitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum... in remissionem peccatorum.* Marci I. 4. praedicatur baptismus poenitentiae in remissionem peccatorum. Nec alia ratione Christus, ex Apostolo Ephes. V. 26. Ecclesiam suam sanctificavit, quam *Mundans eam lavacro aquae in verbo vitae.* Quare universim pronuntiat Christus Marc. ult. *Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit.*

Resp. Dist. Ant. Conjungitur baptismus cum poenitentia prout virtus est in adultis, ut peccatorum anteactorum veniam obtineant, C. cum poenitentia prout sacramentum est ad delenda peccata post baptismum patrata N. Quando in Scripturis poenitentia exigitur ut adulti cum fructu suscipiant sacramentum baptismi, exigitur ut dispositio, ac prout virtus est. Dicitur vero conferri baptismum in remissionem peccatorum non absolute, sive de omnibus peccatis quae post baptismum patratur, sed de iis quae baptismum praecesserunt, ut per se constat. Sane quoad peccata in quae fideles post baptismum lapsi sunt, nunquam haec perhibentur deleta vi baptismi, neque Scripturae fideles peccatores cohortantur ad recordationem suscepti baptismi ut eorum veniam consequantur, sed illos ad solam poenitentiam excitant. Hinc Act. VIII. 22. Petrus Simoni jam baptizato dixit: *Poenitentiam age ab hac nequitia tua, et roga Deum, si forte remittatur tibi haec cogitatio cordis tui.* Sic etiam incestuosum illum Corinthium quem Apostolus ex potestate sibi a Christo data ligaverat I. Cor. V. ex eadem potestate II. Cor. II. solvit in persona Christi. Hac ratione exponi debent Scripturarum testimonia quae nobis obijciuntur ex conjunctione baptismi cum poenitentia.

Ad id vero quod subdunt ex Apostolo facilis responsio patet: mundavit enim Christus Ecclesiam suam in regeneratione per ingressum ad vitam spiritualem. Sic etiam qui crediderit salvus erit, si fidem tamen et gratiam quam per baptismum est consecutus operibus teneat, ut loquitur s. Gregorius M.

II. Obj. 1. Patres remissionem peccatorum omnium uni baptismi acceptam passim referunt; luculentissime id docet inter ceteros s. Augustinus, qui scribens ad Bonifacium: *Quidquid, inquit, ab eis, qui post acceptum baptismum hic vivunt, infirmitate humana contrahitur quarumcumque culparum propter ipsum lavacrum dimittitur (Epist. CLXXXV. cap. 9. n. 59).* Et clarius adhuc lib. I. de Nuptiis ubi Apostoli dictum: *Christus dilexit Ecclesiam... mundans lavacro aquae, sic accipiendum esse contendit: Ut eodem lavacro regenerationis et verbo sanctificationis omnia prorsus mala hominum regenerantium mundentur atque sanentur, non solum peccata quae omnia nunc remittuntur in baptismo, sed etiam quae posterius humana ignorantia vel infirmitate contrahuntur: non ut baptismus quoties peccatur, toties repetatur; sed quia ipso quod semel datur, fit, ut non solum antea, verum etiam postea quorumlibet peccatorum veniam fidelibus impetretur (Cap.*

53. n. 38), et alibi saepe. 2. Hinc s. Fulgentius ejus discipulus in lib. de Fide ad Petrum appellat baptismum sacramentum fidei et poenitentiae (Epist. CLXXXV. cap. 30). Post clara adeo Patrum testimonia jam patet, 3. quid sentiendum sit de Catholicorum nugis, 4. distincta nempe materia, forma etc. quae etiam distincta sint in baptismo et poenitentia, ad unum tamen idemque sacramentum referri possunt, uti reipsa ad idem sacramentum eucharistiae referuntur distincta materia, forma et symbola. Ergo.

Resp. ad 1. Dist. Acceptam referunt patres remissionem peccatorum omnium baptismi tanquam causae remotae necessario praerequisitae subsequentibus salutis subsidiis, C. tanquam causae proximae et formali, exclusis sacramentis reliquis ac salutis subsidiis, N. Aliam non esse Augustini mentem in objectis locis constat ex iis quae ibidem adjecit. Nam in epist. ad Bonifacium post adducta verba ita prosequitur: *Neque enim aliquid prodest de baptizato dicere, dimitte nobis debita nostra (1).* In libro vero de Nuptiis loc. cit. pariter addit: *Quid enim prodesset vel ante baptismum poenitentia, nisi baptismus sequeretur, vel postea, nisi praecederet (2)?* Comparat scilicet s. doctor regenerationem spiritualem generationi carnali. Quemadmodum vero huic veluti primae causae et vita et sanitas et medicinae operatio adscribenda sunt, sic regenerationi spirituali et vitae perfectio, et nutritio, et amissa valetudinis recuperatio, quae per confirmationem, eucharistiam et poenitentiam habentur adscribit.

Ad 2. Dist. Vocat s. Fulgentius baptismum sacramentum fidei et poenitentiae, quia sine his dispositionibus absque fructu baptismus perciperetur, C. quasi unum sacramentum esse censuerit baptismum et poenitentiam, N. Sequitur enim, explicans semetipsum: *Id est, per baptismum.* Deinde exponit qua ratione adultis ad baptismum accedentibus sit necessaria poenitentia, non item vero parvulis.

Ad 3. Neg. Paritatem: in eucharistia enim utraque species eandem cum Christo unionem significat, ad eandem refertur spiritualem animae refectionem, eandemque demum gratiam producit. Hinc s. Thomas docet eucharistiam esse quidem sacramentum materialiter multiplex, unum tamen perfectione signi et gratiae productione (3. p. q. 75. a. 2). Contra vero in baptismo et poenitentia confertur diversa gratia, ac diversa est etiam significationis ratio. Siquidem

(1) Scopus s. Augustini in hac epistola est refellere Donatistas, qui contendebant « In ea se esse Ecclesia, quae jam non habet maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, » ut refert s. doctor n. 38. quibus respondet hoc fieri non posse in Ecclesia militante, quae nempe in his terris adhuc militat, sed hunc statum reservatum esse Ecclesiae in caelis cum Christo regnanti in futuro seculo, cum hic semper rogare Deum debeamus illis verbis *dimitte nobis, etc.* Quae petitio frustra fieret ab eo qui non esset baptismi regeneratus, cum ex vi ipsius baptismi nobis propositum hanc orationem, tum alia salutis subsidia, quae Christus Ecclesiae suae reliquit.

(2) Melius etiam dignoscitur s. Augustini mens ex iis, quae hic immediate subdit: « In ipsa quoque oratione dominica, quae quotidiana est nostra mundatio, quo fructu, quo effectu diceretur, *dimitte nobis debita nostra, nisi ab eis qui baptizati sunt, diceretur? etc.* »

baptismus est spiritualis regeneratio, poenitentia autem reconciliatio est regeneratum, ideoque duo haec sacramenta non materiali tantum ratione, verum etiam formali, ut aiunt, sunt ab invicem distincta.

CAPUT II. DE CONTRITIONE.

Veritate sacramenti poenitentiae constituta, reliquum est, ut ejus partes expendamus, quas tres esse, contritionem videlicet, confessionem et satisfactionem Tridentina synodus adversus Novatores declaravit ac sanxit in laudata sess. XIV. hoc can. IV. *Si quis negaverit ad integram, et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in poenitente, quasi materiam sacramenti poenitentiae, videlicet, contritionem, confessionem, et satisfactionem, quae tres poenitentiae partes dicuntur, aut dixerit, duas tantum esse poenitentiae partes, terrores scilicet incussos conscientiae, agnito peccato, et fidem conceptam ex evangelio, vel absolutione qua credit quia sibi per Christum remissa peccata, anath. sit.* De unaquaque proinde ex ordine disserendum est, ac primo de contritione, quae ab eadem synodo ibi cap. IV. definitur: *Animi dolor, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero.* Hic porro dolor, *Si cum fiducia divinae misericordiae et voto praestandi reliqua, conjunctus sit, quae ad rite suscipiendum hoc sacramentum requiruntur, ex eadem synodo hominem post baptismum lapsam Praeparat ad remissionem peccatorum.*

Verum hic non pauca disentienda occurrunt, quorum alia ad fidem spectant, alia sunt fidei proxima, alia denique libere in scholis catholicis agitantur. Juxta alia ab aliis accurate dispoecere ut perspicuitati consultum sit.

Ac I. quidem de fide est, *Contritionem illam imperfectam quae attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennae et poenarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat eum spe veniae; non solum non facere hominem hypocritam, et magis peccatorem; verum etiam donum Dei esse, et Spiritus sancti impulsus, non adhuc quidem inhabitantis, sed solum moventis, quo poenitens adjutus, viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine sacramento poenitentiae per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in sacramento poenitentiae impetrandam disponit. Hoc enim timore utiliter concussi Niniivitae ad Jonae praedicationem plenam terroribus poenitentiam egerunt, misericordiam a Domino impetrarunt. Ita Tridentina synodus l. c. quae can. V. quem paulo post subjiciemus, eandem doctrinam anathemate firmavit.*

II. Fidei proximum est, *Contritionem, quam aliquando charitate perfectam esse contingit, hominem Deo reconciliare priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur; ita Tridentinum l. c. quod praeterea docet, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. Hoc ipsum pariter eruitur ex pluribus propositionibus, quas inferius referemus in Baio damnatis, quibus tradebat doctor hic Lovaniensis posse*

peccatum consistero cum contritione perfecta et voto sacramenti.

Hinc, quod consequens est, ad fidem proxime accedit, saltem post concilium Tridentinum, quod ad poenitentiae sacramentum rite suscipiendum necessaria non sit contritio charitate perfecta secus ac doceant Jansenistae, qui *dominantem charitatem* in peccatore postulant, quae sit concepta ex purissimo Dei amore, in eum finem ut ille possit in sacramento poenitentiae justificari; dolor enim, qui ex gehennae metu concipitur juxta Quesnellum, execrabilis est hypocrisis.

III. In scholis autem catholicis controvertitur 1. Utrum ad justificationem per sacramentum poenitentiae obtinendam praeter attritionem illam, quae oritur ex consideratione gehennae, et poenarum vel turpitudinis peccati, requiratur amor aliquis saltem initialis, an vero sufficiat attritio, ut vocant, formidolosa concepta ex solo timore poenarum (1). 2. Utrum iste amor initialis consistat in solo amore spei, seu ut dicitur *concupiscentiae*, quatenus scilicet Deus diligitur prout est bonus nobis ac finis noster, an vero in amore *amicitiae* seu *benevolentiae*, quo nempe Deus diligitur prout bonus est in se atque ob infinitas suas perfectiones. Qui propugnant amorem concupiscentiae censent charitatem distingui in perfectam et in imperfectam specie, seu specifico motivo, ita ut amor concupiscentiae sit charitas imperfecta quae specie differt a charitate perfecta, quae juxta ipsos consistit in amore benevolentiae. Qui vero pugnant pro solo amore benevolentiae docent charitatem perfectam distingui ab imperfecta non specie, sed tantum gradus intensitate, adeo ut juxta ipsos amor initialis quem necessarium esse affirmant ad justificationem assequendam, in sacramento sit quidem *appretiative* summus, non vero sit summus *intensive*. Si enim acer, vehemens ac intensus fuerit amor, tunc juxta eorumdem sententiam charitas erit perfecta (2). Hinc qui habet hunc amorem initialem Deum quidem omnibus praefert ac super omnia diligit, at remitte diligit quoad affectum. 3. Juxta alios charitas theologica et proprie dicta quaque requiritur ad justificationem,

(1) Qui contendunt sufficere dolorem conceptum ex solo timoris motivo aut turpitudinis peccati, *attritionista* audiunt, qui praeterea requirunt amorem initialem, vocantur *contritionista*. Alexander VII. in decr. edito die 5. Maii 1667. vetuit sub excommunicationis poena quominus alii aliam sententiam aliqua censura notarent, adjiciens « sententiam negantem necessitatem aliquis dilectionis Dei in attritione videri hodie communioram inter scholasticos. » Cf. Bened. XIV. loco mox citando. Trident. sess. 6. cap. 8. docet impios praeparari ad justificationem etiam per actum quo Deum « tanquam omnis justitiae fontem diligere incipiunt. »

(2) Hic praesens habenda est propositio 36. synodi pistoriensis. quae sic intellecta. « Ut non solum contritio imperfecta, quae passim attritionis nomine donatur, etiam quae juncta sit cum dilectione, qua homo incipit diligere Deum tanquam omnis justitiae fontem, nec modo contritio charitate formata, sed et *feror charitatis dominantis*, et ille quidem diuturno generaliter et absolute requiratur, ut homo ad sacramenta, et speciatim poenitentem ad absolutionis beneficium admittantur » damnata est a Pio VI. tanquam *falsa, temeraria, inquiet animorum perturbativa, et prohibenda in Ecclesia praxi contraria, sacramenti efficacia detrahens, et injuriosa.*

non in amore amicitiae ac benevolentiae consistit, sed in solo amore concupiscentiae. Illi porro docent charitatem perfectam ab imperfecta distingui ex motivis, ita ut si Deus solus diligatur quia bonus nobis est, sit censenda perfecta; si vero diligatur cum aliquo extrinseco ei superaddito vel cum mixtione timoris, censerit debeat imperfecta (1).

IV. Disceptatio praeterea viget in scholis catholicis circa timorem quo attritio concipitur; utrum scilicet sufficiat ad justificationem in sacramento poenitentiae obtinendam timor ille qui oritur ex metu supernaturali poenarum temporalium, an vero debeat insuper concipi ex metu poenarum aeternarum.

Haec sunt praecipua capita a nobis expendenda. Nos itaque primo fidei dogma propugnabimus adversus novatores protestantes; deinde adstruemus doctrinam Ecclesiae catholicae adversus Jansenistas.

PROPOSITIO I. — *Contritio illa quae concipitur ex peccatorum gravitate, multitudine, seditate, amissione aeternae beatitudinis et aeternae damnationis incursu cum proposito melioris vitae est verus et utilis dolor, ac praeparat ad gratiam, non vero facit hominem magis hypocritam, ac magis peccatorem; neque est dolor coactus, sed liber, ac voluntarius.*

Hanc propositionem de fide esse constat ex can. V. Conc. Tridentini: *Si quis dixerit, eam contritionem, quae paratur per discussionem, collectionem, et detestationem peccatorum, quae quis recogitat annos suos in amaritudine animae suae, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, seditatem, amissionem aeternae beatitudinis, et aeternae damnationis incursum, cum proposito melioris vitae, non esse verum et utilem dolorem, nec praeparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam, et magis peccatorem; demum illum esse dolorem coactum, et non liberum ac voluntarium, anath. sit (2).*

Priusquam vero manum admoveamus ad hujus do-

(1) Cf. Bolgeni in op. *Della carità, o amor di Dio*. Roma 1788. una cum ejusdem apologia. Fulgini 1792.

Benedictus XIV. in op. *De synodo aedice*. lib. VII. c. 15. enumerat varias rationes quibus contritio potest dici imperfecta; § 3. inter cetera scribit: « Tertio et plerumque, nomine contritionis imperfectae intelligitur dolor de peccatis, unice conceptus atque elicitus propter eorum turpitudinem, aut solum metum poenarum et gehennae; absque ulla Dei dilectione. » Verum Card. Gerdilius in opuse. *Dell' attrizione* op. edit. Rom. tom. XIX. p. 118. accurate observat hic a docto Pontifice cum magno theologorum numero permixta fuisse duo motiva, quae s. Thomas expresse distinguit. Nam illi theologo contendunt attritionem servilem aequè gigni tam a consideratione turpitudinis peccati, quam ex consideratione poenarum ac gehennae. Contra vero s. Thomas 3. p. q. 85. a. 5. ad 1. severè unum ab altero, tribuens timori contritionem quae oritur ex consideratione poenarum, charitati autem tribuit contritionem, quae oritur ex consideratione turpitudinis peccati. Sic enim loquitur s. doctor: « Peccatum primo incipit homini displicere (maxime peccatori) propter supplicia, quae respiciunt timor servilis, quam propter Dei offensam, vel peccati turpitudinem, quod pertinet ad charitatem. »

(2) His satis mirari non possumus prudentiam patrum Tridentinorum, qui ita asseruerunt doctrinam catholicam, ut detegerent ac damnarent errores protestantium, simulque varias scholarum quaestiones declinarunt. Etenim 1. ea recensent doloris motiva, quae aequè consistere possunt sive cum amore sive etiam sine illo; 2. statuunt quidem contritionem ex illis motivis conceptam veram et utilem esse dolorem, minime vero asserunt esse *sufficiens*; 3. adstruunt demum hujusmodi contritionem praeparare ad grat. un. at non dicunt utrum *remote* an *proxime*.

gnatis veritatem vindicandam nonnulla praemitamus necesse est, ut status questionis clarior evadat. Cum tota controversia versetur circa timoris honestatem, notandum est timorem duplici ratione distingui. Aliquod enim timor mundanus, alius naturalis, alius supernaturalis seu divinus. *Mundanus* est ille quo quis ita poenas ab hominibus infligendas metuit, ut propterea in Creatorem peccare non metuat. *Naturalis* ille dicitur quo quis ipsa natura duce mala temporalia reformidat. *Supernaturalis* seu *divinus* est ille quo quis a peccato abstinere vel dolet de peccato patratu ob poenas quas sibi infligendas a Deo timet. Hic postremus timor in duas veluti species dispartitur, alius nempe est servilis, alius vero filialis seu castus. *Servilis* ille nuncupatur cum quis gehennae ac poenarum metu divinam legem exequitur, vel de ejus transgressione dolet, seu ille est qui non solum manum, sed et voluntatem cohibet a peccato. *Filialis* seu *castus* timor habetur cum quis Deum ut dominum ac patrem amantissimum reveretur, quo fit ut quis hoc timore permotus aut retrahatur a culpa, aut doleat de commissa. Ex his duobus tertius coalescit timor, qui idcirco *mixtus* seu *initialis* vocatur, et est timor culpae propter offensam Dei et metum poenae. Praeter hos recensetur praeterea a theologis timor qui ab ipsis dicitur *serviliter servilis*, ac ille est quo quis ita poenam timet, ut actu paratus sit ad peccandum, si poena deesset, seu ille est, qui solam manum cohibet, voluntatem autem non retrahit a peccato.

Jam vero timor omnis qui hominem a peccato amovet in se bonus est, cum non possit malum esse quod bonum producit effectum, potest tamen malum esse ex prava dispositione illius qui prave utitur re, quae per se bona est (1). Quare cum timor mundanus inducat hominem ad peccandum omnium consensu vitiosus est (Cf. s. Th. 2. 2. q. 19. a. 5). Timor naturalis bono accedente voluntatis affectu bonus evadit, malo vero affectu accedente, malus fit (2); sic etiam timor serviliter servilis, licet in se bonus, subjective tamen et ipse malus evadit ob pravam animi affectionem. Timorem filialem ac castum bonum esse omnes admittunt, idem dicendum de timore mixto. De timore igitur simpliciter servili, ut vocant, tota quaestio versatur inter catholicos et protestantes eosque

(1) Notandum porro est timorem servilem quoad suam substantiam tam posse consistere cum *servilitate*, ut vocant, quam sine illa. Sine servilitate cum timetur quidem poena, sed non tanquam summum malum, cum servilitate cum timetur, ut summum malum. Hanc doctrinam paucis, at clarissimis verbis tradidit s. Th. 2. 2. q. 19. a. 4. ad 5. dicens: « Timor servilis secundum suam substantiam non importat nisi timorem poenae. Sive timeatur ut principale malum (quod constituit servilitatem), prout exponitur in corpore articuli, sive non timeatur ut principale malum. » Bellarminus praeterea lib. II. de poenit. cap. 17. n. 24. adjicit: « Timere malum quod accidere potest, ac praesertim malum summum et sempiternum, qualis est cruciatus gehennae » consentaneum esse naturae et rationi, et hujus effectum optimum esse, sive coerceat voluntatem a peccando, aut saltem impediatur opus, quia non potest arbor mala bonos fructus facere.

(2) Supervacaneum videtur admonere timorem naturalem nihil conferre ad justificationem, imo contrarium asserere damnatum est ab Innocentio XI. an. 1679. Cf. Bened. XIV. l. c. n. 3.

omnes qui eorumdem vestigia secuti sunt. Lutherus enim qui docuit expurgari peccatorem conscientiae terrore a quo solum liberatur per fidem qua velut per organum quoddam apprehendit merita Christi Jesu ac sua facit, excludit à dispositionibus poenitentiae timorem. Hunc timorem rejicit ut malum utpote qui hominem hypocritam ac magis peccatorem efficiat (1). Lutheri doctrinam hac in parte adoptavit Quesnellus. Concilium vero Tridentinum declarat hujusmodi timorem quatenus voluntatem a peccato retrahit, donum Dei esse, proindeque bonum et utilem, ac disponere ad justificationem eum qui dolet de peccatis a se patratu et statuit non peccare de cetero ad vitanda aeterna supplicia ceteraque mala quae peccatum consequuntur. Hanc porro doctrinam sic evincimus.

Contritio illa bona et utilis est, neque proinde hominem hypocritam facit magisque peccatorem, quae concipitur ex timore illo quem Scriptura, patres et Ecclesia ut donum Dei et medium idoneum proponunt tum ad fugienda ac detestanda peccata, tum ad salutarem poenitentiam disponens: atque.

Ac primo quidem peremptoria sunt Christi verba Luc. XII. 5. *Time eum, qui postquam occiderit (corpis) habet potestatem mittere in gehennam: ita dico vobis, hunc time.* Hunc praeterea timorem donum Dei esse aperte ostendunt Apostoli verba Rom. VIII. 15., quibus supponit Judaeos timorem sub veteri lege a Deo accepisse scribens: *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore.* Hunc timorem efflagitabat David, Ps. CXVIII. ita Deum deprecans: *Confige timore tuo carnes meas, a iudiciis enim tuis time.* Plena denique sunt prophetarum volumina comminationibus quarum timore ipsi nitebantur peccatores ad poenitentiam adducere, atque ut reliquos missos faciam, Jonas ut revocaret Ninivitas a vitiis coepit praedicare: *Adhuc quadraginta dies et Ninive subvertetur.*

Patres unanimes in hac doctrina habemus. Quoniam vero adversarii cum quibus agimus s. Augustini potissimum auctoritate abutuntur, satis nobis erit ex s. doctore unum aut alterum testimonium promere. Haec igitur scribit s. Augustinus enarr. in Ps. CXXVII. *Ille timor nondum castus praesentiam (Domini) et poenas timet. Timore facit quidquid boni facit; non timore amittendi bonum illud, sed timore patendi illud malum. Non timet ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi, sed timet ne mittatur in gehennam. Bonus est et iste timor, utilis est (N. 8); et tract. IX. in epist. Joan.: Opus est ergo, inquit, ut iniret timor primo, per quem veniat*

(1) Cf. Bellarm. de poenit. lib. II. cap. 2. n. 2. et seqq. Cf. Moehler in *symbolica* § 53. qui sic exponit systema protestantium: « D'après les protestants, l'effroi de la conscience nous rend seul dignes des mérites de Jésus-Christ; puis la foi, comme organe, délivrant l'homme de ces terreurs, le fait juste et saint aux yeux de Dieu. Ensuite, quand le fidèle est justifié, le dessein de changer de vie et l'amour de Dieu naissent de la foi; en sorte que ces deux sentiments ne contribuent en rien à la justification, et n'en-trent point par conséquent dans l'idée de la pénitence. » Quem influxum hae doctrina exercuerit circa dogma confessionis inferius cum eodem auctore exponemus.

charitas. Timor medicamentum, charitas sanitas (1), et alibi passim hæc ipsa inculcat (2).

Ecclesie demum sensus aperte constat ex iis omnibus quæ attulimus ex concilio Tridentino, et ex propositionibus Quesnelli quas Clemens XI. proscripsit in Constit. *Unigenitus*, quæ ab universa Ecclesia recepta est. Tales sunt Prop. LX. *Si solus supplicii timor animat poenitentiam, quo hæc est magis violenta, eo magis ducit ad desperationem*; LXI. *Timor non nisi manum cohibet, cor autem tandiu peccato addicitur, quandiu ab amore justitiæ non ducitur*. LXII. *Qui a malo non abstinere nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, et jam est reus coram Deo*. Aliisque ejus modi omissis, LXVII. *Timor servilis non sibi representat Deum, nisi ut dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem* (3). Cum vero hæc Quesnelli doctrinam, quæ cum lutherana convenit, nonnulli instaurassent, rursus ab Alexandro VIII. sequentes propositiones proscripserunt, nempe XV. *Timor gehennæ non est supernaturalis*, et XVI. *Attritio, quæ gehennæ et pœnarum metu concipitur sine dilectione benevolentis propter se, non est bonus motus ac supernaturalis* (4).

Si igitur gehennæ ac pœnarum timor a Deo ipso immittitur in cor peccatoris; si Deus ipse pœnas ac supplicia minatur ad hominem a peccato retrahendum aut revocandum; si hoc timore percussos homines ad se venientes Deus ad poenitentiam recipit, profecto timor iste supernaturalis est, bonus ac utilis; voluntatem a peccato retrahit; ad poenitentiam disponit, nec hominem aut hypocritam aut magis peccatorem facit. Jam vero ex dictis talis est timor simpliciter servilis. Ergo.

Ne tamen in ambiguo versemur ad præcavendas innumeras prope difficultates seu potius cavillationes quas adversarii instituunt ad impugnandam catholicæ Ecclesie doctrinam juverit præ oculis hæc habere principia: 1. timorem posse malum dici non in se, sed uti jam monuimus, subjective pro mala dispositione ejus qui timore percellitur; 2. spectari insuper timorem posse aut absolute aut respective; absolute bonus est: respective vero ad charitatem, imperfectus, seu potius minus perfectus est, et latiori sensu sub hac consideratione malus quandoque dicitur, id est, minus bonus; 3. timorem pœnarum a Deo infligendarum esse medium seu habere rationem medii ad vitandam culpam, non autem habere rationem finis neque interpretative (5). 4. Timorem ortum ex

(1) N. 4. Totus hic tractatus legendus esset, ut pateat quænam fuerit mens s. Augustini circa timorem.

(2) Quoad reliquorum patrum testimonia cf. Bellarm. lib. II. de poenit. cap. 17.

(3) Cf. Fontana. *Constitutio Unigenitus theologice propugnata* in hæc proposuit, ubi innumeras prope congerit ex scriptura, patribus, conciliis et theologis auctoritates quibus ostendit doctrinam in illis contentam adversari doctrinæ catholicæ.

(4) Cf. Viva in *Trutina* ad hæc proposuit.

(5) Timor siquidem est medi in quo utitur peccator ad imperandum affectibus suis, vel actibus qui dicuntur imperati, ut odio habeat quod sibi est contrarium, seu suæ æternæ felicitati, cujusmodi est peccatum: cum enim sciat peccatum offensum Dei esse ab eoque puniri, ex timore

amore ordinato erga nosmetipsos esse bonum et honestum, cum Deus velit nos amare ordinate nosmetipsos, ait enim: *Dilige proximum tuum sicut teipsum*. Hæc si præ oculis habeantur, facile erit ea omnia disjicere quæ ex Scriptura, patribus ac ratione nostræ thesi adversari videntur.

DIFFICULTATES. I. Obj. Joannes I. epist. IV. 18. *Timor, inquit, non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet: qui autem timet, non est perfectus in charitate*. Hinc Apostolus, Rom VIII. 15. christianos alloquens dicit: *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum*. Ergo 1. timor opponitur charitati: 2. habet pro objecto malum; 3. nec proinde donum Dei est; 4. qui cum eo operatur, male agit, 5. juxta illud quod scribit idem Apostolus I. Cor. XIII. 2. *Si charitatem non habuerit, nihil sum... nihil mihi prodest*.

Resp. ad 1. Dist. Timor opponitur charitati improprie ut mediam fini, et via termino, seu minus perfectum magis perfecto, C. proprie seu contrarie ut malum bono, N. Alioquin Christus timorem non commendasset.

Ad 2. Dist. Habet malum pro objecto, id est, pœnam immediate, C. mediate, N.

Ad 3. Dist. Non est donum Dei adeo perfectum cujusmodi est charitas, C. absolute et per se, N. Contrarium enim prædicat constanter scriptura, et ipse Apostolus in objecto loco.

Ad 4. Dist. Qui ex timore operatur male agit, id est minus perfecte, C. Absolute, N. Aut etiam male agit si timor ille non excludat affectum ad culpam, C. si excludat, N.

Ad 5. Dist. Sine charitate nihil sum, nihil mihi prodest in ratione meriti ad vitam æternam, C. in ratione dispositionis ad justificationem, N.

incurrendi in pœnas a Deo paratas peccatori, movetur ad consideranda motiva, quibus peccatum odio habeat detestatur, fugiat, etc. quæcumque demum hæc motiva sint, cum unus alio, alter vero alio motivo magis afficiatur. Ceterum timor per se non habet pro objecto immediato nisi pœnam.

Ex hac animadversione patet corrui præcipuum fundamentum hæreticorum, quod scilicet omnis actio, etiam quæ a Deo sub interminatione æterni supplicii imperatur, orta ex timore annexam habeat peccaminosam hanc adeoque liberam voluntatis conditionem: *nollem præceptum servare, si impune possem*. Quod est absurdum ac rationi ipsi contrarium. Nam qui efficaciter timet gehennam, id est, ita timet, ut toto conatu vitare velit; si sciat, eam non modo incurrere externa violatione præcepti, sed etiam conditionata violandi præceptum voluntate; profecto hoc ipso quod ex salutari gehennæ metu præceptum exterius servat, etiam servat interius, ideoque tam voluntatem quam manum a peccato cohibet. Nec illud vident novatores quod dicunt de timore, in spem retorqueri posse. Pari enim jure contendere possem, eum, qui ex spe æterni præmii mandato custodit, hanc animo semper scelestam voluntatem fovere: *Nollem præcepta servare, si nulla servantibus promissa esset retributio*. Sicut ergo motivum spei, ex quo hic et nunc operor, non excludit motivum aliud, e. g., amoris benevoli, ex quo operari possem, si multum præmii recte agentibus constitutum esset: ita nec motivum timoris excludit alterius virtutis motivum, ex quo operari possem, si nulla pœna decreta esset Dei mandata violantibus. Imo timore inducor ad motiva illa consideranda, quæ me retrahere debent a peccato et ad præcepta divina servanda.

H. Obj. 1. Patres passim timorem reprobant tanquam malum. 2. Hoc ponunt discrimen inter legem veterem et novam. 3. quod illa timorem injiciens homines ab malo opere exterius perpetrando detereret, ista vero quæ amoris est, cohibeat etiam interiorum affectum animi. 4. S. Augustinus præsertim, qui in ep. CXLV. aperte docet quod *Inaniter putat victorem se esse peccati, qui pœnæ timore non peccat; quia etsi non impletur foris negotium malæ cupiditatis, ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis* (Alias CXLIV. n. 4), et lib. II. contra duas epist. pelagianorum: *Quando timore pœnæ, inquit, non amore justitiæ fit bonum, nondum bene fit bonum; nec fit in corde, quod fieri videtur in opere* (Cap. 9. n. 21). Et alibi passim (1). Ex his igitur aliisque ejus modi s. Augustini testimoniis luculenter patet timorem pœnæ hominem magis efficere peccatorem, ac hypocritam, nec posse quemquam ex puro timore ita effugere unum peccatum, ut in aliud non incurrat.

Resp. ad 1. Dist. Reprobant patres timorem mundanum qui ad peccatum inducit, aut etiam reprobant timorem serviliter servilem, C. timorem Dei simpliciter servilem, N. Hunc enim timorem nunquam desistunt inculcare patres atque commendare: apologetæ religionis christianæ eo utuntur ad paganos revocandos a cultu falsorum numinum: ipsi martyres in suis responsionibus pœnas æternas ad eundem finem suis persecutoribus, nisi respicerent, ex parte Dei comminabantur. Hæc porro vulgatissima sunt (2).

Ad 2. Dist. Hoc ponunt discrimen velut notam characteristicam inter utramque legem, C. in sensu exclusivo, N. In utraque enim lege veteri ac nova amor et timor inveniuntur, licet in veteri prævaleret timor, prævaleat autem amor in nova. Hinc orta nota veluti characteristicam utriusque legis, ut vetus timoris, nova amoris lex nuncupetur, prout expresse docet s. Augustinus lib. I. de moribus Eccles. *Quantum utrumque in utroque Testamento sit, prævalet tamen in veteri timor, amor in novo* (Cap. 28. n. 56).

Ad 3. Dist. Aliquando, C. semper, N. Cum scilicet lex vetus ut plurimum non nisi pœnas temporales in transgressores decerneret, cujusmodi erant pœna mortis, tallionis, etc., hinc qui harum tantum pœnarum intuitu a legis transgressione abstinabant, utique transgressores ac peccatores in corde erant, licet opus exterius non ponerent; at quoad eos, qui pœnas æternas metuebant, vel etiam pœnas temporales, at a Deo infligendas qui scrutator est cordium, non solum manum sed et animum a peccato retrahere hic timor. In hoc sensu proinde explicanda sunt non pauca sanctorum patrum effata.

Ad 4. Dist. Dum loquitur s. Augustinus de timore mundano, aut serviliter servili, C. dum loquitur de timore supernaturali ac simpliciter servili, ut medio ad fugiendam culpam et pœnam, N. Alterum enim timo-

(1) Hæc loca recenset Jansenius lib. I. de grat. Christi cap. 29. et seqq.

(2) Cf. Bellarm. lib. II. de poenit. cap. 17. et Fontana loc. cit.

rem ab altero s. Augustinus aperte distinguit, ac priorem quidem utpote vitiosum damnat, posteriorem vero ubique commendat. En quibus verbis timorem mundanum ac serviliter servilem describat: *Et latro, inquit, timet malum; et ubi non potest non facit; et tamen latro est. Deus enim cor interrogat, non manum. Lupus venit ad ovile ovium, quærit invadere, quærit jugulare, quærit devorare: vigilant pastores, latrant canes: nihil potest, nihil aufert, non occidit; sed tamen lupus venit, lupus redit. Numquid quia ovem non tulit, ideo lupus venit, et ovis redit* (Serm. LXXXVIII. at. XIX. de Verb. Apost. n. 10)? Timorem vero supernaturalem ac simpliciter servilem quem Deus nempe in corde excitat, ejusque utilitatem ita præclare proponit: *Quomodo si videas avem veluti jam cadere in muscipulam, facis majorem strepitum, ut volet de muscipula: sic et martyres jam forte aliqui ipsorum intendebant collum in dulcedinem vitæ hujus; Dominus qui erat in illis, fecit strepitum gehennarum, et erutus est passer de muscipula venantium... Muscipula erat dulcedo vitæ hujus* (1). Quare non solum, ut vidimus, expresse vocat hunc timorem bonum et utilem, sed præterea incipientes adhortatur ut timore veluti duce operentur, si nondum possunt amore justitiæ, dicens: *Fac, fac timore pœnæ, si nondum potes amore justitiæ* (Serm. CLVI. n. 14). Quatuor demum præcipuos salutares effectus hujus timoris recenset, ac primo, quod a peccando impediatur; secundo, quod ad dilectionem perducat: *Time tamen, inquit, ut ista formido custodiat te, ut perducat ad dilectionem*. Timor enim iste, quo gehennam times, ut ideo mala non facis, continet te, et sic volentem peccare animum interiore non sinit (Serm. cit. CLXI. loc. cit.); tertio quod pravam illam peccandi consuetudinem, quam ipse lib. VIII. Confess. cap. V. *ferream voluntatem* appellabat, emolliat, ut fiat consuetudo justitiæ: *Cum per timorem, scribit, continent se a peccato, fit consuetudo justitiæ, et incipit quod durum erat amari, et dulcescit Deus* (Enarr. in Ps. CXXVII. n. 7); quarto demum quod divinæ justitiæ timore utiliter concussi peccatores ad considerandam Dei misericordiam se convertant et in spem erigantur, ut constat ex adductis testimoniis.

Ex dictis igitur patet s. Augustinum interdum

(1) Enarr. in Ps. CXXIII. n. 12. Huic testimonio aliud adijcere libet ex eodem s. doctore, quod plane decretorium est adversus novatores; sic igitur ipse loquitur serm. CLXI. de verb. apost. I. Cor. 6. n. 8. *Dico ergo tibi, libidine cum victus habes consentientem, quare non committis adulterium? Et respondebis, quia timeo gehennam, timeo supplicium ignis æterni, timeo iudicium Christi, timeo societatem diaboli, ne puniar ab illo, et cum illo ardeam. Quid? dicturus sum, male times? Quomodo tibi dicebam de adversario, quia quærebat corpus tuum occidere. Ibi enim recte dicebam, male times, securum te fecit Dominus tuus, dicens, nolite timere eos, qui corpus occidunt. Modo cum dicis mihi, gehennam timeo, ardere timeo, in æternum puniri timeo: quid dicturus sum? Male times? Vane times? Non audeo, quandoquidem ipse Dominus ablato timore, subiecit timorem; et ait, ubi dixit, nolite timere eos, etc. Cum ergo Dominus timorem incusserit, et vehementer incusserit, et repetendo verbum comminationem geminaverit, dicturus ego sum, male times? Ista non dicam. Plane time, nihil melius times, nihil est quod magis timere debeas.*